An. et vol. XXXXI 29 Decembris 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Decretales, p. 625.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Responsum, p. 650 - *S. C. Rituum*: Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 651.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, 655.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Congregazioni varie, p. 656.

Indices vol. XXXXI. An. XXXXI, 1949: I. Index generalis actorum, p. 657 - II. Index chronologicus documentorum, p. 659 - III. Index nominum: *a*) personarum, p. 677; *b*) dioecesium, vicariatuum etc., p. 682; *c*) religionum, p. 687 - IV. Index rerum analyticus, p. 691.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis: In Italia, Lib. 800
In Europa, Lib. 2000; extra Europam $ 4
Pretium unius fasciculi: In Italia, Lib. 75
In Europa, Lib. 180; extra Europam $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

Conto corrente con la Posta

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 15 - 29 Decembris 1949)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

PAG.

I. *Providentissimo.* - Beato Michaëli Garicoits, Confessori, Sanctorum honores decernuntur. - 6 Iulii 1947 . . 625

II. *Dei Ecclesia.* - Beata Ioanna Elisabeth Bichier des Ages, Virgo, in Sanctorum album adscribitur. - 6 Iulii 1947 637

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Responsum. De validitate Baptismi in quibusdam sectis collati. - 28 Decembris 1949 650

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Romana seu Maceraten. et Tolentin.* - Decretum de miraculis pro canonizatione Beati Vincentii Mariae Strambi, Confessoris, Episcopi Maceraten. et Tolentin., e Congr. Clericorum Excalceatorum Ssmae Crucis et Passionis D.N.I.C. - 31 Iulii 1949 651

II. *Romana.* - Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Vincentii Pallotti, Sacerdotis, Fundatoris Societatis Apostolatus Catholici. - 27 Novembris 1949 653

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Quebecen. - Nullitatis matrimonii (Turcotte-Bédard). - 30 Novembris 1949 655

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 656

II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 656

EDITIO NOVISSIMA

MEMORIALE RITUUM

pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis

IN MINORIBUS ECCLESIIS

Benedicti XIII Pont. Max. iussu editum - Benedicti Papae XV auctoritate recognitum

I. De Benedictione Candelarum in Festo Purificationis B. Mariae V.
II. De Benedictione Cinerum in Capite Ieiunii
III. De Dominica Palmarum
IV. De Feria V in Coena Domini
V. De Feria VI in Parasceve
VI. De Sabbato Sancto

EDITIO I POST TYPICAM

Volumen linteo anglico contectum, sectione foliorum rubro, Lit. 300 ($ 0,60)
iterum editum et bodoniano more religatum, Lib. 220 ($ 0,45)

An. et vol. XXXXI 29 Decembris 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

I

BEATO MICHAËLI GARICOÏTS, CONFESSORI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Providentissimo Sapientiae Divinae consilio factum est ut ad humani generis redemptionem, a Christo Domino in ara crucis inchoatam, per saeculorum decursum et usque ad mundi huius finem, continuo peragendam, viri ac mulieres, omnigenis exornati virtutibus, divina flagrantes caritate, excitentur, qui *fidenti, strenuo generosoque animo pacifica certare Religionis certamina cupientes, in apertum campum prosiliant, ac non solum adversariorum arma retundere ac profligare contendant, sed eos etiam modis rationibusque omnibus, quibus possint, ac suae praesertim sanctimoniae fulgore, ad Christum et ad Ecclesiam indefatigabili studio laboreque revocare conentur.*

Horum in numero Sanctus ille fuit, cuius Nos gloriam inter viatores homines magno cum gaudio hodie adauximus, Michaël Garicoïts, qui quidem procellosis illis vixit temporibus, quibus publica ac christiana res turbis, seditionibus atque etiam bellicis perturbata conflagrationibus, summopere in Gallia periclitabatur.

Natus ille *Barre* in oppidulo Baionensis dioecesis die quinta decima Aprilis mensis, anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, a parentibus Arnaldo et Gratiana Etcheberry, opum quidem pauperibus, sed christianarum opulentis virtutum, qui ad sacrum fontem, nisi post sex fere menses a nativitate, eum adducere potuerunt;

tum enim ob rerum omnium in Gallia perturbationem, templis deletis, aris pollutis, fidelibus divexatis et oppressis, sacerdotes e suis sedibus fuerant eiecti, huc illuc dispersi et ad necem quaesiti.

Pueritiam apud suos domi transegit, a matre praesertim sollertissima excultus, et in ipsa infantia non indubia exhibuit virtutum specimina: a puerilibus namque nugis alienus, ad pietatem proclivis, sacerdotem sacra peragentem imitari apud arulam a seipso exstructam in deliciis habebat. Vix decimum aetatis annum attigerat quum ob rei familiaris penuriam paternam deserere domum compulsus, penes quemdam agricolam collocatus est, qui adulescentulo gregis custodiam commisit, quod quidem humile officium tam diligenter exercebat, ut heri sui aestimationem sibi conciliaverit. Interim tam vehementi exarsit desiderio eucharisticam dapem primum suscipiendi, ut olim in extasim, uti ipse postea retulit, inciderit; sed ardentissimis eius votis obstabat Parochus; qui tamen paulo post sanctum iuvenem idoneum habitum, maximo eius cordis iubilo, prima vice caelesti pane refecit. Ex eo tempore in sortem Domini Michaël se vocari praesensit; et apud parentes reversus ut patrem et fratres in excolendis agris adiuvaret, maiora in dies incitamenta ad vineam Domini excolendam experiebatur, sed animi desiderio rei familiaris angustiae graviter obstabant. Omnes tamen difficultates iuvenis constantia superavit. Nam paulo post, eius avia deprecante, Parochus oppiduli *Saint Palais* illum apud se famulum recepit, ea potissimum ratione ut ille, si quid temporis liberum haberet, primis grammaticae rudimentis vacaret. Interea cum lectissimo iuvene Evaristo Etchecopar amicitiam iniit, quocum pietati et virtuti egregie studebat. Quum autem ob scholarum defectum studiorum curriculum illic prosequi nequiret, Baionam missus est, ubi dum penes illius dioecesis Episcopum Ioseph Iacobum Loison domesticum famulatum obibat, opportunis addiscendis impense vacabat disciplinis. In Seminarium postea Aturense collocatus, philosophicis studiis incubuit ac deinde in maiori Aquarum Augustarum Seminario magna cum laude theologiae cursum absolvit, luculenta vitae integritatis, humilitatis, pietatis fervoris specimina exhibens, ita ut ab aequalibus et moderatoribus novi Aloisii Gonzaga cognomen meruerit. Anno autem millesimo octingentesimo vicesimo tertio, die vicesima decembris mensis sacerdotali auctus fuit dignitate ac paulo post vicarius coadiutor loci *Cambo* senescentis Parochi renunciatus est; in quo obeundo munere eius apostolicus zelus et prudentia emicuerunt. Biennio fere post, iunior licet, in maiori Baionensis dioecesis Seminario, tunc temporis apud Beatae Mariae Virginis a *Betharram* sanctuarium, peregrinorum concursu celebre, sito, oeconomi primum et philosophiae magistri,

theologiae postea et Sacrae Scripturae professoris ac tandem Moderatoris partes ex obedientia suscipere coactus est; quibus in muneribus obeundis, prudentissime erga seniorem rectorem se gerens, Seminarii disciplinam reflorescere obtinuit, omnium simul sibi venerationem et amorem concilians. — Contigit interea ut Baionensis Episcopi iussu illius Seminarii sedes in episcopalem urbem restitueretur, ad quam vero Dei Famulus arcessitus non fuit, et ideo in *Betharram* pago remansit una cum presbytero Guimon, ut frequentibus ad sanctuarium peregrinantibus spiritualia deferret subsidia simulque Confessarii munus Sororum *d'Igon* obiret. — Opportunum tum advenisse ratus est tempus rem aggrediendi, quam iamdiu ille cogitaverat, instituendae scilicet Congregationis, cuius sodales Sacrorum Antistitibus in difficillimis pastoralibus obeundis muneribus praesto essent ut dioecesium necessitatibus clerique rectae disciplinae satius provideri posset.

Tolosam itaque se contulit et, caelestem imploraturus opem, in sacram solitudinem secessit, ibique, Patre Leblanc e Societate Iesu viro prudentissimo consulto, ad pagum *Betharram* rediit, atque ante B. Virginis sanctuarii altare provolutus, in pio proposito divinitus confirmatum illudque ad exsequendum excitatum se sensit.

Tunc Baionam petiit suum consilium Episcopo aperturus, qui dubius haesit, remque ad opportunius tempus remittendam censuit. Quod quidem diu opperiendum non fuit: ipse namque Episcopus non multo post Dei Famulum ad theologicas disciplina alumnis maioris seminarii tradendas Baionam arcessivit; cumque illum ad sui nutum obedientissimum spectavisset, eum, omni solutum onere, ad sanctuarium de *Bétharram* reverti iussit, ut novae condendae Congregationi totus incumberet, simulque presbyteris aliquot veniam dedit ut se illi sociarent.

Hoc fuit exordium Societatis Presbyterorum, quam pius conditor a Sacratissimo Corde Iesu nuncupatam voluit, atque sapientibus prudentissimisque legibus munivit. Anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo ipse, omnibus difficultatibus miranda patientia, divina tantum fretus Providentia, devictis, Episcoporum mandatis prorsus subditus, una cum primis sociis religiosa vota paupertatis, castitatis et obedientiae nuncupavit, atque a Baionensi Episcopo sibi demandatum et a confratribus confirmatum Congregationis regimen suscepit.

Supremi onustus moderatoris pondere, Dei Famulus, tanti negotii gravitatem minime dissimulabat et quae sui muneris partes erant religiose implere satagebat, parentis potius quam rectoris more se gerens, nihil a suis exigens, quod ipse antea non praestitisset; nullum, etsi humile ac demissum, officium omittens, quo Congregationis sodales, eius

exemplo allecti, libentius constitutionum regulas servarent. Nil ergo mirum si Societas non mediocres nacta sit progressus; novis enim erectis domibus, Baionensis dioecesis fines, superavit, et, vivente adhuc legifero parente, in longinquas usque Americae regiones suos explicavit ramos, ubi latissimus patuit evangelicis operariis campus, et uberes religionis et caritatis fructus relati sunt.

Nec in fundanda solum ac regenda sua Congregatione Dei Famulus impense laboravit; sed et alia ei commissa fuit non levis cura ab eius Antistite: spirituali scilicet consulendi bono Filiarum Crucis, seu Sororum a S. Andrea; quod quidem munus ita diuturno ferme triginta septem annorum spatio assidue religioseque in pago *Igon* obivit, ut tamquam alter novensilis Sororum illarum Congregationis conditor haberetur. — Haec munia, aliaque plurima pietatis et caritatis opera, quae in suae praecipue Congregationis et in spirituale proximorum bonum, *in pagis, in oppidis, in urbibus, ac praesertim inter proletariae plebis ordines,* libenter susceperat, usque ad extremum vitae suae diem, pro Dei gloria et Ecclesiae bono alacriter secutus est, quin umquam corpori suo requiem vel parem viribus reficiendis alimoniam concederet. — Omnium autem christianarum virtutum nitore Dei Servus claruit ita ut ab omnibus, adhuc vivens, sanctus haberetur: fides in eo pura, simplex, integra viguit, qua Ianseniano, Gallicanos, Lamennesianos ceterosque errores, eo tempore in Gallia praesertim serpentes, constanter aversatus est, et cum Romano Pontifice idem sensit, cuius infallibile magisterium, antequam fidei dogma definiretur, firmissime semper credidit et docuit. Divinae voluntatis cultor devotissimus, difficillima quaeque et maxime aliquando ardua, peragere consuevit atque difficultates omnes intrepido superavit animo, Dei praecipue auxilio fretus, quin tamen quae humanae prudentiae essent neglegeret.

Etsi ad iracundiam pronus, indolem ita compescuit, ut Christi Iesu mansuetudinem ac suavitatem in se retulerit. — Carnem assiduis abstinentiis, ieiuniis, vigiliis ac flagellis asperrime afflixit; brevissimo utebatur somno et cibi tantum sumebat, ut vix vitam sustentaret. — Sacratissimo Cordi Iesu devotissimus fuit; cultum vero et venerationem erga augustissimum Eucharistiae sacramentum totis viribus prosequebatur; caelestem autem illius fervorem dum sacrum litaret omnes admirabantur, ita ut angelum seu seraphim ad altare videre putarent; singularem quoque devotionem erga Beatam Mariam Virginem ferventissime ipse coluit et inter suos in primis et inter christifideles propagare studuit. Animi puritatem perfectamque innocentiam usque ad mortem servavisse creditur. — Dei Famuli vitae innocentiam et sanctitatem

clariorem Deus effecit, uti traditur, supernaturalium charismatum fulgore: pluries namque visus fuit, corpore e terra elato, in ecstasim raptus; cordium scrutatione et prophetiae dono ditatus fuit. Quae quidem omnia Dei Famuli Michaëlis sanctitatis typum exprimunt. Sed eius sanctae vitae exitus adventabat: iamdiu non satis firma erat valetudine; aliquot enim ante eius mortem annos paralysis ictu correptus fuit, e quo tamen convaluit; sed postremis eius vitae mensibus viribus coepit destitui; quasi adventantis finis praesagus, die tertia decima Maii mensis, anno millesimo octingentesimo sexagesimo tertio, ad suum Baionensem Antistitem venit; quocum omnibus suae Congregationis rebus compositis, postremam eius benedictionem flexis genibus humillime petiit; dein asceterium Filiarum a Cruce invisit et universae communitati benedictionem, eo usque denegatam, impertivit. *Bétharram* reversus cum alumnis suis ad vesperas hilari vultu conversatus est et, cum eis fusis precibus, cubitum in conclave suum secessit, ibique prima diei sequentis hora suffucatione perculsus, sui compos, poenitentiae et extremae unctionis sacramentis receptis, fidei, spei et caritatis actis recitatis, divinam misericordiam efflagitans, ea ipsa hora, qua quotidie e lecto surgere solebat, placidissime expiravit, sexagesimo septimo aetatis suae anno, die festo Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi. — Ad cadaver in templo expositum invisendum biduo cuiusque ordinis et condicionis confluxere cives, cruces, rosaria, sacra nomismata certatim corpori admoventes; Episcopus ipse Baionensis defuncti Dei Servi sanctitatem, effusis lacrimis et pectoralem crucem suam cadaveri imponens, aperte testatus est.

Funus autem, ob ingentem fidelium numerum, qui interfuerunt, triumpho simile visum est; Episcopus ipse Baionensis, funebrem laudationem recitans, Dei Servi vitae innocentiam eiusque omnigenas virtutes, humilitatem in primis, obedientiam et cordis integritatem, summis laudibus celebravit. — Mirabilis porro, iam ex die quo exanime corpus humatum est, ad Dei Famuli sepulcrum, in summo *Calvario* sanctuarii de Bétharram situm, concursus fuit et adhuc viget, ut eius patrocinium apud Deum invocaretur, tanta cum esset sanctitatis fama, qua Michaël Garicoïts tum in vita tum post obitum floreret non in Baionensi tantum et finitimis dioecesibus, sed tota Gallia et in exteris quoque regionibus. — Quare causa agitari coepta est de caelitum honoribus Dei Famulo decernendis et ad hoc processus ordinarii in curiis Parisiensi et Baionensi adornati sunt; quibus confectis, fel. rec. Leo Tertiusdecimus, Praedecessor Noster, manu sua introducendae Causae Commissionem signavit. Apostolicis deinde processibus apud SS. Rituum Congregationem de vita, gestis et virtutibus Servi Dei rite adornatis, omnibusque

servatis de iure servandis, Benedictus Quintusdecimus, et ipse Praedecessor Noster, solemni Decreto, die decima Decembris mensis, anno millesimo nongentesimo sextodecimo edito, sanxit: *Constare de virtutibus theologalibus fide, spe et caritate in Deum ac proximum, nec non de cardinalibus prudentia, iustitia, fortitudine ac temperantia earumque adnexis venerabilis Servi Dei Michaëlis Garigoïts in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Quadriennii vix interiecta mora, sollertes actuosique Causae actores actionem instituerunt de miraculis, quae, Dei Famulo deprecante, divinitus patrata ferebantur. Rite itaque de binis miris sanationibus processibus constructis et, suetis disceptationibus de iure absolutis omnibusque stricto iudicio perpensis, Decessor Noster Pius Papa Undecimus undevicesima die Martii mensis, anno millesimo nongentesimo vicesimo tertio, solemniter edixit: Constare de utroque proposito miraculo, de primo nempe *instantaneae perfectaeque sanationis sororis Mariae Théodart ab osteo-periostite flegmonosa digiti indicis in manu dextra,* deque altero *instantaneae perfectaeque sanationis puellae Mariae Ladebais ab organico sive intestina sive dorsualem spinam afficiente morbo, illico totius corporis redintegratis viribus, et libera praesertim recuperata deambulandi facultate.* — Cum itaque de virtutibus heroicis ac de duplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud tantum inquirendum supererat an *tuto* procedi posset ad solemnem Venerabilis Servi Dei Michaëlis Garicoïts Beatificationem. Praehabita igitur sueta S. Rituum Congregationis Patrum Cardinalium et Consultorum coram praefato Summo Pontifice generali congregatione, idem Pontifex die quinta decima Aprilis mensis, anno millesimo nongentesimo vicesimo tertio, ad se accitis Antonio Cardinale Vico, Episcopo Portuensi et S. Rituum Congregationis Praefecto, et Ludovico tunc Cardinale Billot, Causae Relatore, una cum Alexandro Verde, eiusdem Congregationis a Secretis, et Angelo Mariani, Fidei Promotore Generali, Eucharistico Sacro litato, solemniter edixit: *Tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Servi Dei Michaëlis Garicoïts Beatificationem.*

Huius autem solemnia eodem anno, die decima Maii mensis, in solemnitate Ascensionis D. N. I. C. magnificentissime in Petriana Basilica celebrata sunt maximo cum cleri et populi concursu.

Post indultam Beato illi Michaëli venerationem, cum plura, eo intercedente, sanationum prodigia divinitus patrata dicerentur, dilecti Filii Iulii Saubat, sollertis Causae Postulatoris, potissimum cura, preces ad Apostolicam Sedem porrectae sunt ut Causae reassumptio ad novensilis Beati Canonizationem obtinendam concederetur. Quae quidem reas-

sumptio a Decessore Nostro Pio Papa Undecimo decreta est die vicesima tertia Iulii mensis, sequenti anno. Super duabus itaque propositis miris sanationibus processus constructi sunt in Platensi Curia, de quorum iuridica vi die vicesima Novembris mensis anno millesimo nongentesimo quadragesimo quarto favorabile editum est decretum. — Prima sanatio ita evenisse narratur: Blanca Simioni, in urbe *La Plata,* decem annos agens, gravissima typhica infectione, quae cum enterrorhagiis atque myocardite, ab initio toxica dein organica, attacta fuit. Cum nulla naturalis sanationis spes superesset, novendiales preces pro puellae sanitate obtinenda, per B. Michaëlis intercessionem, ipso medico suadente, a parentibus aliisque ferventer effusae sunt. Dum morbus maxime ingravescit, atque infirma prope moritura erat, die decima septima maii, anno millesimo nongentesimo trigesimo illico perfecte sanatur, medico ceterisque mirantibus. In recuperata valetudine Blanca permansit. Tres periti a S. Rituum Congregatione adlecti plene cum medente tum in diagnosi edicenda tum in iudicio ferendo sanationem supra naturae vires contigisse concordant. — Altera sanatio ita evenisse fertur: In eadem urbe Soror Angela Zanini, e Societate Mariae, puellis loquela et auribus educandis praeposita, per aliquot annos fibromate, cum aliorum quoque gravium malorum concursu, in interno abdomine laborabat. Morbus adeo invaluerat, ut nulla recuperandae valetudinis spes affulgeret. Quare cum sodales, tum puellae earum curae concreditae B. Michaëlis patrocinium implorarunt; qui suae clienti benignissime adfuit. Nocte enim inter diem nonam et decimam Iulii anni millesimi nongentesimi trigesimi sexti, dum Soror Angela in precibus effusa Beatum impensius invocat, in instanti perfectissime sanata est, atque statim viribus omnino recuperatis, pristina officia resumpsit, in iisque, bona fruens valetudine, iugiter perseveravit. Medens cum tribus ex officio peritis in diagnosi, in prognosi atque in sanatione, divinae actioni exclusive tribuenda, conveniunt.

Super quibus duabus miris sanationibus, servato iuris ordine, disceptatum est in antepraeparatoria et in praeparatoria, quas vocant, congregationibus; demum in generalibus comitiis, coram Nobis die quintadecima Februarii mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo quarto habitis, a venerabili Fratre Nostro Carolo Cardinale Salotti, Episcopo Praenestino, S. Rituum Congregationis Praefecto et Causae Ponente, dubium propositum: *An et de quibus miraculis post indultam Beato Michaëli Garicoïts venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur;* atque tum Patres Cardinales, cum Officiales Praelati et Consultores suum quisque affirmativum protulerunt suffragium. Nos

vero, ut a Deo, effusis precibus, mens Nostra magis illustraretur, ad diem vicesimam septimam insequentem sententiam Nostram proferre distulimus; qua die, apud Nos arcessitis praefato Cardinale atque dilectis Filiis Alfonso Carinci, S. Rituum Congregationis a Secretis, et Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, divino sacrificio litato solemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis, B. Michaële Garicoïts interveniente, patratis,* videlicet: *De instantanea perfectaque sanatione cum Blancae Simioni a gravissima typhica infectione cum enterrorhagiis atque myocardite organica, tum Sororis Angelae Zanini a fibromate, aliis gravibus adiunctis morbis, in interno abdomine.*

Quod autem ex sacri iuris praescripto supererat actum est in generalibus S. Rituum Congregationis comitiis, die quarta decima Martii mensis eiusdem anni coram Nobis habitis; propositum nempe fuit dubium: An stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, *tuto* procedi posset ad sollemnem ipsius Canonizationem. Cum omnes qui aderant unanimi sensu in affirmativam concessissent sententiam, Nos, concorde hoc iudicium cum laetitia quidem excepimus, sed ad diem trigesimam sequentis Aprilis mensis, Nostram sententiam laturos diximus; qua die sacrosancto Missae Sacrificio celebrato, coram praefatis Cardinale Salotti et S. Rituum Congregationis a Secretis ac Fidei Promotore generali, ediximus: *Tuto procedi posse ad sollemnem Beati Michaëlis Garicoïts Canonizationem.*

Quibus omnibus itaque peractis, ne a Decessorum Nostrorum in tanti momenti re sapientissime constitutis deflecteremus, ad diem decimam Martii mensis proxime elapsi, venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales in Consistorium secretum convocavimus, in quo de Beatorum Iosephi Cafasso, Ludovici Mariae Grignion de Montfort, Michaëlis Garicoïts, Nicolai De Flüe et de Beatae Catharinae Labouré vita et miraculis disertum sermonem habuit venerabilis Frater Noster Carolus S. R. E. Cardinalis Salotti, S. Rituum Congregationis Praefectus, ac singillatim acta recensuit, quae in causis Beatificationis et Canonizationis eorumdem Beatorum et Beatae Sacra Rituum Congregatio praevio accurato examine, admisit et adprobavit. Qua relatione expleta, Nos adstantium Cardinalium uniuscuiusque suffragia exquisivimus, quae singuli stantes apertoque capite reddiderunt. Secreto peracto Consistorio, habitum est *Consistorium publicum* pro solemni eorumdem Beatorum et Beatae Causae Canonizationis peroratione; quam pro Beato Michaële Garicoïts dilectus Filius Ioannes Baptista Ferrata, Consistorialis Aulae Advocatus, polito sermone peregit, Nobisque enixas porrexit preces

ut ad optatam Canonizationem deveniremus. Nos vero, Decessorum Nostrorum vestigia sectantes, non ante inerrantem sententiam Nostram laturos diximus, quam in Consistorio, quod *semipublicum* nuncupatur, omnes Romae adfuturi Patres Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi suam quisque mentem Nobis patefecerint.

Curavimus itaque cuique illorum Antistitum commentarios de uniuscuiusque ex praefatis Beatis vita, gestis et miraculis nec non de actis omnibus in ipsorum Causis expletis transmittendos, quo facilius res explorata ac cognita cuique esse posset, antequam suam quisque liberam Nobis sententiam religiose aperirent. Istud autem Consistorium in Palatii Apostolici Vaticani consueta aula habitum est decima septima Aprilis mensis die proxime elapsi; in quo iterum Patres Cardinales, et adstantes omnes Antistites primum allocuti, quid de propositis Causis sentirent, Nobisque singillatim significare vellent ab illis exquisivimus. Exceptis adstantium suffragiis, admodum gratulati sumus omnes idem ac Nos de hac re sentire, Beatos nempe illos et Beatam Caelitum maximis sine mora decorandos esse honoribus. Quare deliberatum Nobis esse diximus solemnes Canonizationis ritus in Vaticana Patriarchali Basilica proximis mensibus, Deo favente, peragere; atque placuit singulis caeremoniis diem praestituere: Beato autem Michaëli Garicoïts una cum Beata Elisabeth Bichier des Ages hanc diem sextam Iulii mensis, adspirante iuvanteque Numine, decernere statuimus. Interea adstantes omnes Venerabiles Fratres rogavimus ut suas Nostris coniungere precibus dignarentur, ut quae iam tunc praestolabamur, fausta ac salutaria catholico nomini evenirent. De quibus omnibus ut iuridica acta conficerent, adstantibus Protonotariis Apostolicis uti de more mandavimus.

Hacce autem praestituta die adveniente, Nos, omnibus saecularis et regularis cleri ordinibus, plurimis Romanae Curiae Praelatis et Officialibus, Sacrorum Antistitibus et S. R. E. Patribus Cardinalibus, solemni supplicantium ritu praeeuntibus, Patriarchalem Nostram Petrianam Basilicam, magnificentissimo ornatam apparatu et innumeris nitentem lychnis, maxima iam christifidelium turba stipatam, quamplurimis in primis Congregationum Presbyterorum SS. Cordis Iesu et Filiarum a Cruce Sodalibus, solemni pompa ingressi sumus, atque statim ad Nostram perreximus Cathedram ibique sedimus. Tunc, praestita prius Nobis, ut ritus postulat, a venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus obedientia, ac peroratione per dilectum Filium Camillum Corsanego, Consistorialis Aulae Advocatum, instanter, instantius et instantissime praehabita, venerabilis Frater Noster Carolus Salotti, S. Ri-

tuum Congregationis Praefectus et duplici huic Canonizationi procurandae praepositus, a Nobis postulavit ut Beato Michaëli Garicoïts Confessori et Beatae Ioannae Elisabeth Bichier des Ages Virgini supremos Sanctorum coronam per inerrantem sententiam Nostram decernere dignaremur. Nos autem ad hoc pervenire noluimus, nisi postremum Sancti Divini Spiritus menti Nostrae lucis copiam adstantes omnes adprecarentur. Quod quidem, hymnum *Veni, Creator Spiritus* fervide concinendo, peractum est. Tum Nos, Iesu Christi Vicarius in terris et supremus catholicae Ecclesiae Magister, in Divi Petri Cathedra sedentes, ita sollemniter pronunciavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio; Beatos Michaëlem Garicoïts, confessorem, et Ioannam Elisabeth des Ages, virginem, Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali eorum memoriam quolibet anno die eorum natali nempe Michaëlis Garicoïts die decima quarta Maii et Ioannae Elisabeth Bichier des Ages vigesima sexta Augusti, pia devotione recoli debere. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.*

Qua Canonizationis formula ita a Nobis pronunciata, oblatis Nobis precibus a praefato Aulae Consistorialis Advocato, Cardinalis Procuratoris nomine, annuentes, Decretales has Apostolicas sub plumbo Litteras de hac Canonizatione confici expedirique decrevimus; Protonotariis vero Apostolicis ut ad perpetuam eiusdem memoriam publicum construerent instrumentum mandavimus. — Deo insuper Optimo Maximo ob tantum beneficium, hymnum *Te Deum* concinentes, ex imo corde una cum universo adstante clero et populo egimus; primum dein novensilium Sanctorum patrocinium invocavimus et brevi homilia ipsorum elogium teximus atque de Sancto Michaële Garicoïts peculiariter diximus: de apostolico viro illo, de supernis eius dotibus, deque diuturna eius opera, in Dei gloriam hominumque salutem exantlata, divinam illam sententiam iterari posse, quae — ad Patriarcam Iacobum spectat: *Haec* (Sapientia) *iustum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.* — Homilia habita, apostolicam benedictionem et plenariam indulgentiam adstantibus peramanter impertiti sumus ac deinde solemne Pontificale Sacrum celebravimus, et ita Canonizationis

ritus felicem habuit exitum. — Praeclara itaque novensilis huius Sancti Nostris hisce Litteris consecrata memoria vigeat in omnium christifidelium et praesertim in dilectorum Filiorum ab Eo conditae Congregationis sodalium animis, ut vestigiis, quae Ille in patriam revertens reliquit, eiusdemque exemplis inhaerentes, ad perpetua adipiscenda gaudia Eum ipsi sequantur.

Omnibus igitur quae inspicienda erant bene perpensis, certa scientia, omnia et singula quae supra memoravimus, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, iterum confirmamus, roboramus atque statuimus, decernimus universaeque Ecclesiae denuntiamus. Mandamus insuper ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus hebeatur fides, quae hisce praesentibus ostensis tribueretur. Si quis vero Decretales has Litteras definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel eis ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die sexta Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego FRANCISCUS Episcopus Ostiensis et Tusculanus Cardinalis MARCHETTI SELVAGGIANI, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego EUGENIUS Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis TISSERANT.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI-MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

Ego ALEXANDER tituli S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego ALOISIUS tituli S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis LAVITRANO.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego FRIDERICUS titulo S. Mariae de Victoria, Presbyter Cardinalis TEDESCHINI.

Ego DOMINICUS tituli S. Apollinaris Presbyter Cardinalis JORIO.

Ego MAXIMUS tituli S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.

Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Ego IOSEPH S. Eustachii Cardinalis Diaconus BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
Decanus S. Collegii

C. Card. MICARA
S. Rituum Congr. Praefectus

Ludovicus Kaàs, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA
die decimaoctava Novembris, anno undecimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

A. Marini, *scriptor Apost.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIV, n. 25. - Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

II

BEATA IOANNA ELISABETH BICHIER DES AGES, VIRGO, IN SANCTORUM ALBUM ADSCRIBITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dei Ecclesia, quam Christus Dominus suam sibi sponsam acquisivit sanguine suo, Sancto Spiritu semper regitur et vivificatur; animasque divino sanguine redemptas, variis iisque opportunis auxiliis ad sanctitatem excitare et provehere non nunquam desinit; et, quo duriora fuere tempora infernique graviores incursus, eo plures sive viros sive feminas, religionis studio animique fortitudine illustres, Dei proximique caritate flagrantes, omnigenis virtutibus conspicuos, haec Christi Sponsa, omni aetate, sicut vitis abundans, protulit, qui catholicae fidei in pristinum honorem restituendae quam maxime adlaborarent.

Quod quidem sole clarius visum est, cum, exeunte decimo octavo saeculo, in nobili praesertim Gallica natione, quae non immerito sanctorum parens dicitur, in lugenda rerum omnium tempestate, miserentissimus Deus non paucos excitavit homines sanctos, qui, virtute potentes, dominici gregis dispersioni, societatis ruinae subvenerunt et religionis negotia impenso studio curaverunt et instaurarunt. Eminet inter eos nobilissima femina Ioanna Elisabeth Bichier des Ages, quam Nobis hodie datum est, una cum alio Ecclesiae Dei et Gallicae gentis decore, Michaële Garicoïts, ad supremos Caelitum honores inter viatores homines magno cum gaudio evehere; *qui quidem ambo, piissima necessitudine invicem coniuncti, procellosis illis vixere temporibus, quibus publica ac christiana res turbis, seditionibus, atque etiam bellicis perturbata conflagrationibus, summopere in Gallia periclitabatur.*

Ioanna Elisabeth Bichier des Ages in avito castello *des Ages* prope *Blanc,* archidioecesis Bituricensis oppidum, ortum habuit die quinta Iulii mensis, anno millesimo septingentesimo septuagesimo tertio, a parentibus Antonio et Maria Augier de Moussac, genere nobilibus et fortuna divitibus, sed etiam religionis studio et professione conspicuis. Iam inde a pueris, uti de plerisque legitur sanctis, futurae sanctitatis praebuit illa indices non dubios: mira namque docilitate parentum praecepta exequebatur, ludicra illius aetatulae propria devitabat, egenorum inopiam eleemosynis sublevare in deliciis habebat; pietatem vero

praecipue colebat et biennis adhuc ad ecclesiam deferri adamabat et, velut altera Magdalena De Pazzis, lateri pientissimae matris a Sacra Synaxi redeuntis sese adiungere.

Decimum agens annum a parentibus Pictavium mittitur in coenobium Hospitantium Religiosarum, ubi sub regimine Sophiae de Bordin, amitae suae, sobrie erudita est et fortiter ad virtutem instituta, ita ut brevi Sororibus non minus quam alumnis carissima evaserit. Interim ad Eucharistiam primum suscipiendam maximo studio ac cordis iubilo se paravit, et die vicesima sexta Decembris mensis, anno millesimo septingentesimo octogesimo quarto primitus Angelorum panem manducavit; eodemque die per Confirmationis sacramentum inter eucharisticas delicias eius cor donis repletum est Spiritus Sancti, pietatis praesertim et fortitudinis, quibus deinde tota eius vita summopere excelluit.

Quadriennium in coenobio commorata est; dein, plaeclara modestiae, pietatis et mortificationis exempla contubernalibus relinquens, in avitum castellum a parentibus revocata est. Ibi ad matris placitum rei familiaris curam suscepit et dum domesticis officiis et consanguinibus natu minoribus advigilandis curas impendebat, a pietatis et caritatis exercendis operibus numquam destitit.

Traditur ipsa quotidie summo mane templum adire, Missae Sacrificio astare, Angelorum Dape suam reficere animam in deliciis habuisse; domum reversa, quod tempus sibi superesset a domesticis curis, illud infirmis visendis ac pauperum angustiis levandis laeto insumere animo. Carnis etiam afflictationibus iam tunc indulgebat, paenitentiae quoque instrumenta utendo: ieiunii autem ita erat amatrix, ut suis necesse fuerit advigilare, ne congruo ad vitam cibo destitueretur. Saeculi vanitates mundique illecebras constanti semper animo aspernata est, et frustra parentes studebant eam aliquando in profanos adducere conventus.

Fulgidum ita virtutum omnium exemplar cives Ioannam Elisabeth laudare coeperunt, qui virginem conspiciebant nobilitatis genere praeclaram, demisso habitu cultuque pauperum tuguria ingredi, infirmis sua ipsius manu inservire, putrida aliquando eorum ulcera tergere; puellas accire derelictas omnique ope destitutas, quas matris amantissimae instar humanis christianisque institutis excolebat atque ab impendentibus ex pauperie periculis eripere studebat.

Anno millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, patri morienti pietatis officia tenerrimo persolvit affectu; eoque mortuo, familiaribus rebus magna prudentia et supra aetatem sagacitate compositis, una cum matre in rus *La Guimetière* secessit.

Acri ingenio praedita, decora aspectu aliisque praeclaris locupletata dotibus, virginalis verecundiae et amabilis modestiae exemplum se praebuit omnibus, ita ut ad virtutem allicerentur omnes quotquot eam convenirent aut alloquerentur. Honestissimas nuptias constantissime recusavit, matrique eam ad coniugium saepius hortanti sancta pervicacia renuit; immo die quinta Maii mensis, anno millesimo septingentesimo nonagesimo septimo Iesu et Mariae sese in perpetuum devovit.

Ad sacerdotales fovendas vocationes apostolico incumbebat studio et amplissimos insumebat sumptus ita ut ad quindecim numerentur sacerdotes, quibus studiorum tempore largis eleemosynis auxilio venit. Sacerdotes semper magno prosequebatur honore, iisdemque, gallica perturbatione saeviente, sive proscriptis vel in carcere detentis sedulam ferebat opem atque eos omni qua potuit ratione iuvabat, genus omne pericula ipsamque mortem invicto animo spernens. Id temporis dum Dei Famula in castello *de la Guimetière* morabatur, idoneum suae conscientiae moderatorem a Deo efflagitabat; inopinato datus est ei sanctus vir, Andreas Hubertus Fournet, parochus Malliacensis, quem fel. rec. Pius Papa Undecimus die quarta Iunii, anno sacro millesimo nongentesimo trigesimo tertio in Sanctorum numerum retulit. Sanctus hic sacerdos, iam in Hispania exsul ob saevientem in patria persecutionem, secreto rediit et in horreo quodam apud *Marsilly* rei divinae sacroque ministerio incumbebat, dispersasque suae paroeciae oves diligenter colligens apostolico verbo et ecclesiae sacramentis eas roborare studebat. Ioanna Elisabeth ne caelestibus hisce auxiliis privaretur, secura periculi, huc illuc per impervia loca discurrebat, plerumque nocturno tempore, uno sibi fideli famulo in socium adhibito, ut suum adiret animi moderatorem. Sanctus Andreas simul ac eam allocutus est, statim iuvenis ingenium ad ardua proclive, animamque a Deo ad grandia destinatam detexit eamdemque, de coenobitico statu capessendo serio cogitantem, ad iacturas prorsus religioni illatas reparandas et ad caritatis opera in saeculo exercenda, ad pauperes sublevandos et indoctos erudiendos suasit et huiusmodi desiderium maximum in ea excitavit. Quotidianam vitae normam austeram et laboriosam eidem indixit; iuxta quam pietatis exercitia, matris cura, infirmorum ac pauperum visitatio, religiosa puellarum institutio, sacrorum linteorum lavatio et refectio singulas Ioannae Elisabeth horas occupabant eiusque domus, pia annuente matre, bonorum operum centrum evasit.

Interea S. Andreas Hubertus assidue secum ipse volvebat qua ratione efficacius posset tot tantaque damna reparare, dominico gregi a nefaria gallica seditione allata: odia restinguere, discordias compescere et chri-

stianos iterum mores indicere; in primis caritatis opera promovere et pauperum praesertim necessitates sublevare. Rem cum Ioanna Elisabeth contulit, quam ad tantum opus exsequendum aptissimam iudicavit. Quapropter nonnullas illi pias iuvenes adiunxit, quae viribus unitis puellas religionis christianae elementa docerent aliisque caritatis operibus incumberent.

Post Dei Famulae matris obitum, qui anno millesimo octingentesimo sexto contigit, piae sociae in castellum *de la Guimetière* convenerunt et communem veluti vitam sub Parochi sancti regimine traducebant. Aetatem quinque et viginti circiter annorum Dei Ancilla attigerat, cum primus S. Andreas Hubertus consilium eidem aperte pandidit de parva aliqua instituenda communitate ac de huius regimine ipsi tradendo. Reformidabat Elisabeth gubernium suscipere; utque ad religiosae vitae disciplinam magis erudiretur, Pictavium petiit, de sui moderatoris consensu; ibique in aliquot religiosis domibus commoravit. Post sex circiter menses in oppidum *La Guimetière* rediit suisque sodalibus sese adiunxit et paulo post in pagum, cui nomen *Mollant*, transmigravit, ubi primum religiosas vestes una cum suis induere coepit sicque paullatim constituta est parva societas, quae simplicibus votis paupertatis, castitatis et obedientiae quartum addidit, pauperes nempe ac puellas erudiendi eorumque necessitatibus consulendi.

Augescente sodalium numero, post breve in paroecia Malliacensi domicilium, Ioanna Elisabeth sodales Podium in novas quas potuit extruere aedes adduxit; ibique principem Congregationis domum constituit sub titulo *Filiarum Crucis* ac sub patrocinio *S. Andreae Apostoli;* in elaborandis vero novae huius religiosae familiae constitutionibus ipsa Dei Famula, collaborante Sancto Fournet, dedit operam; in quibus clarum extare videtur monumentum ipsius prudentiae et sanctitatis.

Nova haec Congregatio plurium Episcoporum statim favorem conciliavit, qui eam approbarunt et magnis ornarunt laudibus. Laudis vero Decretum Decessor Noster Pius Papa Octavus concessit kalendis Septembribus, anno millesimo octingentesimo vicesimo nono; binas quoque approbationes a civili auctoritate obtinuit; undique domorum fundationes postulabantur, quibus satisfaciendo Dei Famula imparem sese existimans, magna fide a Deo alias Religiosas expostulabat et, mirum dictu, fere extemplo plures e diversis regionibus Postulantes ei offerebantur. Hinc in pluribus Galliae dioecesibus Congregatio constituta est magno cum christifidelium bono, electissimae potissimum Fundatricis opera et industria, ac tam rapido progressu propagata est ut ante ipsius obitum plus quam nonaginta domus numerarentur. Vix tamen

dici potest quot labores exantlaverit quotque aerumnas perpessa fuerit sanctissima ac fortissima mulier, ut sua coepta ad desideratum deduceret terminum. Sane quidem ex intima cum Deo coniunctione spiritum illum hausit, qui tot inter adversa eam sustinuit ac roboravit. Iuge in ea orandi studium et fervor ingens. Pietatis exercitiis iam a pueritia, ut diximus, constanter incubuit; Eucharistiam praecipue singulari colebat amore et cotidie caelesti illo pabulo se reficiebat; domus Dei decorem maxime dilexit et lubentissime operam dabat in sacellis ornandis, novaque saepe supellectile instruendis. Beatissimam Virginem Mariam filiali prosequebatur amore; coronam Rosarii saepissime prae manibus habebat eiusque mysteria meditabatur assidue. Heroico virtutum omnium splendore Dei Servam claruisse plurimi testes concinunt, qui eam heroidem dicunt caritate, fide, oratione, prudentia, fortitudine, patientia, animi submissione, paupertate ceterisque omnibus virtutibus. Insuper sui domina semper, insurgentes animi motus viriliter compescuit, et graviores inter angustias nunquam suavitatem amisit, irrisiones aliquando et simultates aequo semper animo perferens. Sororibus in regularum Congregationis observantia praeibat, in semetipsa prius adamussim exprimens quae aliis praecipiebat. Parcissime victitabat; somno parum indulgebat duroque ferme loco; cilicio et catenulis corpus affligebat, ita ut merito germanae Filiae Crucis nomen promeruerit imaginemque expresserit, sodalibus suis conspicua relinquens exempla virtutum quibus exornabatur.

Anno millesimo octingentesimo trigesimo quarto, Dei Famula, cum perfecta Dei voluntati submissione et magna animi fortitudine, mortem toleravit sancti Patris Fournet, quem, utpote suae Filiarum Crucis Congregationis alterum Conditorem, ipsa in primis et omnes Societatis Sorores tamquam patrem desideratissimum multis honestarunt lacrimis.

Anno vero millesimo octingentesimo trigesimo octavo, qui postremus fuit eius intemeratae vitae, proxime se de hac vita migraturam persentiens, verno tempore, negotia omnia, quae cum domum principem tum ceteras Congregationis domus respiciebant, recte componere sategit, ne inordinatum quidquam relinqueret; spiritualibus deinde exercitiis vacare voluit, quibus expletis *Bethines* oppidum petiit, paulum ibi quiescendi causa. Podium hinc reversa paulo post, Augusto mense, gravi ulcere, quo plures iam annos erat affecta, in gangraenam converso, inter saevissimos cruciatus, invicta patientia ac fortitudine toleratos, mentem et cor ad Deum alacrius elevabat, pias fundens iaculatorias preces, quas inter notatu digna: *Iesu, pater pauperum, miserere mei;*

et eximiam erga Beatam Virginem Mariam pietatem ostendens, susceptis postremis ecclesiae sacramentis maximo animi fervore atque caelesti quadam laetitia, placidissime in osculo Domini exspiravit vicesima sexta die Augusti mensis, non mediocrem sanctitatis famam, quam Dei Famula vivens adepta fuerat, post se relinquens.

Insequenti die solemnia celebrata sunt funera, cum lacrimis et magna cleri et populi frequentia, non Podiensis tantum sed et finitimorum oppidorum; pauperes praesertim turmatim adfuerunt sanctam et pauperum patronam Dei Servam una voce celebrantes.

Post Ancillae Dei obitum vividior in dies eiusdem sanctitatis fama evasit ob plures potissimum miras sanationes, quae, ea suffragante, a Deo obtentae ferebantur; quare de Beatorum caelitum honoribus illi decernendis causa coepta est agitari. Ordinariis itaque Processibus rite constructis de vitae sanctimonia venerabilis Servae Dei, iisdemque a S. Rituum Congregatione probatis, fel. rec. Praedecessor Noster Leo Papa Tertiusdecimus introductionis Causae Commissionem manu propria signavit die tertiadecima Maii mensis, anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo.

Peractis deinde Processibus Apostolicis, iuridica servata forma, disceptatum est de eiusdem venerabilis Dei Ancillae virtutibus, quas die undevicesima Martii mensis, anno millesimo nongentesimo vicesimo octavo Decessor Noster cl. m. Pius Papa Undecimus, gradum attigisse heroicum solemniter decrevit. Quaestio porro secuta est de duobus miraculis, quae ab omnipotenti Deo per Venerabilis Dei Famulae Ioannae Elisabeth Bichier des Ages intercessionem patrata ferebantur; atque, suetis a SS. Rituum Congregatione praemissis comitiis, idem Praedecessor Noster die vicesima nona Aprilis, anno millesimo nongentesimo trigesimo quarto solemni Decreto edixit: *Constare de duobus miraculis a Deo per Ven. Ioannae Elisabeth Bichier des Ages intercessionem patratis, nempe: de instantanea perfectaque sanatione tum Sororis Mariae Angelinae a gravi ulcere pylorico, tum Leae Laverré a gravissima broncopulmonite capillari.*

Die autem tertia Maii mensis eodem anno idem Pontifex *Tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Ioannae Elisabeth Bichier des Ages Beatificationem* pronunciavit. Cuius solemnia in Basilica Vaticana tertiadecima Maii die proxime subsequenti cum sueto splendido ritu et fidelium concursu celebrata sunt. Sequenti anno, cum nova alia Beatae Ioannae Elisabeth intercessione dicerentur a Deo patrata miracula, Causa sollerti dilecti Filii Iulii Saubat, Societatis Presbyterorum SS. Cordis Iesu de Bétharram Procuratoris generalis, huius Causae Postulatoris, cura, ad

canonizationem obtinendam, reassumpta est, et super duobus miris quae dicebantur sanationibus, eiusdem Beatae suffragio, obtentis, apostolici constructi sunt processus. Cum autem in antepraeparatoria Congregatione prior proposita sanatio gravibus obnoxia difficultatibus videretur, alia suffecta est, quae ita evenisse narratur: Puella Gratiosa Dufau, Stephani filia, sexdecim annos nata, duplex passa est trauma ob lapsum primum, ob automobilis currus impulsum alterum, quo eius columna vertebralis in quinta vertebri lumbari fracta est. Medentes ex tabulis radiographicis laesionem traumaticam, fracturam nimirum vertebralem concordi voce coniecerunt. Quibus in adiunctis cum salus ab humana arte in vanum quaereretur, ad caelestia auxilia tum parentes tum aegrota ipsa recurrendum duxerunt et ad B. Ioannam Elisabeth novendiales preces inchoarunt. Die autem octava Octobris mensis anni millesimi nongentesimi trigesimi septimi, quinta ab inceptis novendialibus, puella in sanatorium ducta est vehementibus adhuc excruciata doloribus. Ast noctu inter diem decimam et undecimam eiusdem mensis, dum ad Beatam ferventius ingeminabat preces, repente sanatam se sensit, et, cum dolores in spina dorsuali evanuissent, sequenti die e lectulo surgere potuit. Medicus a curatione et alii periti physici etiam accuratissime explorantes, nullum morbi residuum invenerunt et naturae viribus repentinam hanc sanationem tribui posse negaverunt; quibus et adlecti a S. Rituum Congregatione medici concorditer adstipulati sunt.

Altera sanatio ita evenisse traditur: Puellula Maria Raschi, Petri filia, vix septennis, ineunte mense Maio anni millesimi nongentesimi trigesimi sexti, morbo coepit tentari diphterico, qui in dies magis ingravescebat et, varias alias affectiones secum trahens, illa in extremum vitae agonem adduxit. Curantes enim medici Mariam diphterite septica cum affectione renali, myocardica et meningea laborare concordi voce proclamarunt. Parentes vero, praesertim puellae amita, Congregationis Filiarum a Cruce sodalis, cum desperatam iam vidissent Mariae conditionem, partem de B. Ioannae Elisabeth reliquiis aegrotulae illi applicuerunt; die autem septima Iunii mensis ad Beatam novendiales preces inchoarunt. Quibus vix absolutis, repente hora quarta matutina diei sextae decimae omnia morbi symptomata disparuerunt et puerula petita oblataque fercula voluptarie deglutivit. Periti physici a curatione et qui ex officio vocati sanationem hanc vires naturae praetergressam esse unanimi consensu affirmarunt. — De utraque sanatione iuxta morem districto disceptatum est iudicio in suetis SS. Rituum Congregationis comitiis et ultimo coram Nobis die vicesima tertia Aprilis anno millesimo nongentesimo quadragesimo; in qua Generali Congre-

gatione omnes tum Patres Cardinales tum Officiales Praelati et Patres Consultores ad propositum dubium: An et de quibus miraculis post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem constet, in casu et ad effectum de quo agitur, suam quisque edidit sententiam; Nos vero, ut spatium Nobis et adstantibus superesset ad preces fundendas, quibus uberior Nobis divini luminis claritas in re tanti momenti praesto esset, ad diem tertiam decimam insequentis Maii mensis Nostram edicere sententiam distulimus.

Qua die, accersitis ad Nos Venerabili Fratre Nostro Carolo S. R. E. Cardinale Salotti, Episcopo Praenestino et S. Rituum Congregationis Praefecto ac huius Causae Ponente seu Relatore, atque dilectis Filiis Salvatore Natucci, Sanctae Fidei Promotore Generali, et Henrico Dante, S. Congregationis eiusdem Substituto, Sacro pientissime litato, solemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis a Deo per Beatae Ioannae Elisabeth Bichier des Ages intercessionem patratis, videlicet de instantanea perfectaque sanatione puellae Gratiosae Dufau a fractura vertebrali; et de instantanea perfectaque sanatione puellulae Mariae Raschi a diphterite septica cum affectione renali, myocardica et meningea.*

Deinceps, quod ex iuris praescripto reliquum erat, discussum est coram Nobis die vicesima prima Maii eodem anno dubium: *An stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, Tuto procedi posset ad sollemnem eiusdem Canonizationem.* Omnes qui aderant Patres Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores in unanime favorabile concessere suffragium. Nos vero cunctandum esse aliquantulum duximus, ut maiori Sancti Spiritus luce perfunderemur et diem septimam Augusti proxime advenientis mensis selegimus ut Nostram panderemus sententiam. Quare hac die apud Nos advocavimus praefatum Cardinalem Carolum Salotti, Praefectum S. Congregationis Rituum et Causae Relatorem, dilectos Filios Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem Generalem et Alfonsum Carinci, eiusdem S. Congregationis a Secretis, atque, sancto Eucharistico Sacrificio litato, sollemniter ediximus: *Tuto procedi posse ad Beatae Ioannae Elisabeth Bichier des Ages Canonizationem.*

Sed, Praedecessorum Nostrorum cupientes vestigia sectari, primum in Consistorio secreto omnes S. R. E. Patres Cardinales ad diem duodevicesimam Februarii mensis superiore anno in consueta aula Palatii Vaticani convocavimus; in quo prius duo et triginta meretissimos viros in Patrum Cardinalium Collegium adscripsimus; plures deinde vacantes Ecclesias suis instruximus Pastoribus; postea relatio Causarum pro

Beatorum aliquot Canonizatione a venerabili Fratre Nostro Carolo S. R. E. Cardinale Salotti facta est, qui sermonem quoque habuit de vita et miraculis Beatae Ioannae Elisabeth, ac recensuit acta quae in Causa Beatificationis et Canonizationis eiusdem Beatae SS. Rituum Congregatio districto examine admisit et adprobavit. Relatione expleta, Nos Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivimus, qui suam quisque sententiam aperuerunt. Die autem vicesima prima eiusdem mensis in Basilica Vaticana celebratum est Consistorium *publicum,* in quo primum peracta est solemnis peroratio Causarum Canonizationis BB. Ioannis De Britto, martyris, Bernardini Realino, confessoris nec non Beatarum Ioannae Elisabeth Bichier des Ages, virginis, et Franciscae Xaveriae Cabrini, virginis; pro Beata Ioanna Elisabeth diserte peroravit dilectus Filius Camillus Corsanego, Consistorialis Aulae Advocatus. Nos vero, quamvis Beatis illis sanctitatis honores decernere quam maxime cuperemus, verumtamen, ut translaticius mos in hac re servaretur, non ante incommutabile iudicium Nostrum laturos diximus, quam in Consistorio, quod *semipublicum* vocatur, omnes adfuturos Purpuratos Patres, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos sententiam rogaverimus. Mandavimus itaque ut omnibus istis Antistibus commentarii mitterentur de eorumdem Beatorum et Beatarum causis, a S. Rituum Congregatione absolutis, ut, re cognita ac perspecta, suam quisque sententiam ferre Nobisque aperire possent.

Quod quidem Consistorium in sueta Vaticani Palatii aula habitum est die decima tertia Iunii mensis eodem anno, in quo Nos adstantes venerabiles Fratres Nostros Patres Cardinales et plurimos Antistites, viciniorum praesertim dioecesium, allocuti sumus et quid de sanctitatis honoribus sollemni ritu decernendis Beatis Ioanni de Britto ac Bernardino Realino atque Beatis Ioannae Elisabeth Bichier des Ages et Franciscae Xaveriae Cabrini singuli ipsi sentirent suamque sententiam Nobiscum communicarent.

Laetati sumus admodum concordibus eos vocibus animisque una Nobis consentire; quare deliberatum Nobis esse diximus quatuor illis caelitibus summos decernere sanctitatis honores. Quod quidem sollemnibus caeremoniis in Basilica Vaticana, Deo adiuvante, facturos diximus cum primum opportunitas ac facultas daretur. Interea autem omnes adhortati sumus ut supplices ad Deum preces extollerent, ut ex his faustitatis eventibus, tum Catholicae Ecclesiae, tum universae humanae consortioni, tam tunc perturbatae ac trepidae, uberes orirentur salutaresque fructus. De quibus omnibus instrumentum dilectis Filiis adstantibus Protonotariis Apostolicis conficiendum mandavimus.

Die porro decima septima Aprilis mensis proxime elapsi, in Consistorio *semipublico* apud Nos habito, solemnem Canonizationis ritum in Petriana Basilica celebrare statuimus ad praesentem hanc diem sextam Iulii mensis, pro Beata Ioanna Elisabeth Bichier des Ages, una cum Beato Michaële Garicoïts, Confessore, Congregationis Presbyterorum SS. Cordis Iesu, vulgo de Bétharram, Fundatore, altero Gallicae gentis praeclaro decore.

Qua adveniente die, cunctis saecularis et regularis Cleri ordinibus, Romanae Curiae Praesulibus et Officialibus pluribus Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis et Patriarchis, atque sacro S. R. E. Cardinalium Collegio praeeuntibus, Nos ipsi solemni pompa Patriarchalem Basilicam Nostram Vaticanam, magnificentissimo ornatam apparatu et innumeris splendentem lycnis, atque innumera fidelium copia iam stipatam, quos inter plurimi Congregationum Filiarum Crucis et Presbyterorum SS. Cordis Iesu sodales, ingressi sumus, atque, brevi prius ante altare maximum effusa prece, ad Nostram Cathedram perreximus ibique sedimus. Tunc, praestita antea Nobis, uti de more, ab adstantibus Cardinalibus obedientia, venerabilis Frater Noster Carolus Cardinalis Salotti, SS. Rituum Congregationis Praefectus et huic duplici Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Camillo Corsanego, Consistorialis Aulae Advocato, *instanter, instantius* et *instantissime* a Nobis expostulavit ut Beato Michaëli Garicoïts, Confessori, et Beatae Ioannae Elisabeth Bichier des Ages, Virgini, Sanctorum honores per inerrans oraculum Nostrum decernerentur. Nos autem, Sancti Divini Spiritus lumine una cum adstantibus omnibus prius implorato, ut ab Eo menti Nostrae superni luminis copia magis magisque coruscaret, in Cathedra sedentes Divi Petri, uti universalis Christi Ecclesiae Magister, sollemniter pronunciavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio; Beatos Michaëlem Garicoïts, confessorem, et Ioannam Elisabeth Bichier des Ages, virginem, Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali eorum memoriam quolibet anno die eorum natali, nempe Michaëlis Garicoïts die decima quarta Maii et Ioanne Elisabeth Bichier des Ages die vigesima sexta Augusti*

pia devotione recoli debere. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, oblatis Nobis precibus a praefato Aulae Consistorialis Advocato, eiusdem Cardinalis Procuratoris nomine, annuentes, Decretales hasce Litteras Apostolicas ad perpetuam rei memoriam expediri iussimus; adstantibus vero Protonotariis Apostolicis ut de eadem Canonizatione instrumenta conficerent mandavimus.

Gratias mox Deo Optimo Maximo ob tantum beneficium, una cum adstante clero et populo toto corde peregimus; primum novensilium Caelitum patrocinium invocavimus ac statim de illorum brevi homilia teximus elogium et praeclara eorum virtutum omnium exempla ante oculos posuimus, quae intenta meditari mente, actuosaque sequi voluntate omnes hortati sumus. *Atque utinam,* inquimus, *hi Caelites novensiles suis precibus quam primum obtineant, ut Ecclesiae humanaeque consortioni feliciora tempora arrideant, ac Nobis vobisque superna ea munera a Deo impetrent, quibus omnes adiuti ad christianam possimus citatiore cotidie gradu contendere perfectionem. Amen.*

Apostolica deinde benedictione et plenaria admissorum indulgentia adstantibus peramanter a Nobis impertita, ad altare accessimus Pontificale Sacrum litaturi; et ita Canonizationis ritus solemnibus hisce caeremoniis suum habuit felicem exitum.

Novensilis igitur S. Ioannae Elisabeth hisce Nostris Litteris consecrata memoria, spirituali una Nobiscum gaudio exsultet vehementer Sororum in primis Congregatio Filiarum a Cruce, tantum de Ecclesia civilique societate optime merens, quae suae Auctricis exempla impenso sectantes studio, in actuosis potissimum caritatis operibus per orbem propagandis in dies adlaborare pergant; universa exsultet catholica Gallica natio, quae tantam genuit filiam, tantamque nunc adprecatricem habet in caelis; gaudeant tandem universi christifideles, quibus per Sanctae istius Virginis exaltationem ad imitandum exemplum proposuimus, eiusque Nobis omnibus apud miserentissimum Deum patrocinium praestolamur.

Omnibus itaque quae inspicienda erant bene perpensis, certa scientia deque Nostrae apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula quae supra diximus iterum confirmamus, roboramus, decernimus atque universae Christi Ecclesiae denunciamus.

Mandamus insuper ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis eiusque sigillo munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae iisdem praesentibus ha-

beretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Si quis autem Decretales has Litteras Nostras definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae ausu temerario infringere vel eis contraire aut attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die sexta Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego FRANCISCUS Episcopus Ostiensis et Tusculanus Cardinalis MARCHETTI SELVAGGIANI, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego EUGENIUS Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis TISSERANT.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI-MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

Ego ALEXANDER tituli S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego ALOISIUS tituli S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis LAVITRANO.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego FRIDERICUS titulo S. Mariae de Victoria, Presbyter Cardinalis TEDESCHINI.

Ego DOMINICUS tituli S. Apollinaris Presbyter Cardinalis JORIO.

Ego MAXIMUS tituli S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.
Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.
Ego IOSEPH S. Eustachii Cardinalis Diaconus BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
Decanus S. Collegii

C. Card. MICARA
S. Rituum Congr. Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA
die vicesimasecunda Novembris, anno undecimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Al. Trussardi, *scripsit.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIV, n. 26. - Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

RESPONSUM

DE VALIDITATE BAPTISMI IN QUIBUSDAM SECTIS COLLATI

Huic Supremae S. Congregationi a nonnullis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Ordinariis locorum propositum fuit dubium:

« Utrum, in diudicandis causis matrimonialibus, baptismus in sectis Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationalistarum, Baptistarum, Methodistarum collatus, posita necessaria materia et forma, praesumendus sit invalidus ob defectum requisitae in ministro intentionis faciendi quod facit Ecclesia vel quod Christus instituit, an vero praesumendus sit validus, nisi in casu particulari contrarium probetur ».

Feria IV, die 21 decembris 1949

Emi ac Revmi DD. Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandarunt:

Negative **ad primam partem;** *affirmative* **ad secundam.**

Sequenti autem Feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius, divina Providentia Papa XII, in solita Audientia Excmo P. D. Adsessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit atque publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 28 decembris 1949.

Petrus Vigorita, ***Supr. S. C. S. Officii Notarius.***

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA SEU MACERATEN. ET TOLENTIN.

CANONIZATIONIS BEATI VINCENTII MARIAE STRAMBI, CONFESSORIS, EPISCOPI MACERATEN. ET TOLENTIN. E CONGR. CLERICORUM EXCALCEATORUM SSMAE CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis post indultam Eidem Beato ab Apostolica Sede Venerationem constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Sancti Pauli a Cruce, sui legiferi patris, perfectum exemplar Beatus Vincentius Maria Strambi se exhibuit. Vix enim Sacerdos factus, ab eodem Sancto in suam Congregationem exceptus, vel ab initio religiosae vitae, ad quantum sanctitatis gradum esset ascensurus ostendit.

Sacris expeditionibus addictus, innumerabiles animos non modo praedicatione sed et praecipue vitae austeritate, arctissimaque paenitentia, Christo lucrifaciebat.

Maceratensis et Tolentinus Episcopus a Pio VII electus, pastoralia officia ad amussim implevit. Nolens impium iuramentum a gallicis invasoribus impositum edere, exsilium est passus. Annis, laboribus, paenitentiis fractus, Leoni Papae XII, vix electo, episcopatus abdicationem iteravit. Pontifex venerando huic seni morem gessit, simulque voluit ut in Apostolico Palatio moraretur. Die 1 Ianuarii 1824 Dei Servus ibidem sanctissime obiit.

Servatis de iure servandis, insigni huic Dei Servo Beatificationis honores a Pio Papa XI a. 1925 fuerunt concessi.

Novis miraculis a Deo, per B. Vincentii Mariae intercessionem, patratis, Canonizationis causa die 25 Novembris 1925 fuit resumpta, atque super duabus miris sanationibus, quae hic subduntur, institutae sunt Apostolica auctoritate inquisitiones cum in Uritana, tum in Neapolitana Curia: de quarum iuridica vi diebus 17 Iulii a. 1929 et 1 Februarii a. 1933 pro Uritanis, die vero 30 Iulii a. 1944 pro Neapolitanis edita sunt decreta.

I. Iosepha Arnò, civis Manduriensis, Uritanae dioecesis, septuaginta quinque annos nata, ingenti ovarica cysti laborabat, quae sua magnitu-

dine ac pondere probabile mortis periculum constituebat. Tumor hic nec naturae viribus, nec medicis remediis sanari poterat nisi tantum chirurgico interventu, qui tamen perpensis omnibus infirmae adiunctis, nullimode haberi poterat.

Verum quod naturae viribus aut humanae industriae impossibile erat, Beati Vincentii Mariae Strambi intercessio, fervide invocata, a Deo obtinuit. Intra enim paucorum dierum spatio, Maio mense mediante, anno 1926, omnia morbida phaenomena omnino disparuerunt, nullo adhibito humano interventu.

II. Sanatio altera puellulam Assumptam D'Agostino respicit, quae a gravi inflammatione epiphyseos femoris attacta fuerat. Beato Vincentio Maria invocato, puella in instanti inventa est perfecte sanata. Omnibus consideratis sanationis momentis, hanc praeter naturae leges contigisse, unanimi peritorum iudicio edicitur.

Iuris ordine servato, die 24 Iunii mensis anno 1947 coram Rmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, Antepreparatoria Congregatio coacta est, quam die 1 Februarii anni huius Praeparatoria est subsecuta. Demum die 21 Iunii Generalis habita est coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, in qua idem Rmus Cardinalis dubium posuit discutiendum: *An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suum edidere suffragium, Beatissimus vero Pater Suam sententiam ad hunc usque diem 31 Iulii, Dominicam octavam post Pentecosten, edere distulit, ut Suis praesentiumque ingeminatis precibus divina Voluntas apertius Sibi patefieret.

Quapropter Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente, atque infrascripto S. R. C. Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali meque Secretario ad Se accitis, Eucharistico Sacrificio sancte litato, edixit: *Constare de perfecta atque instantanea sanatione Iosephae Arnò ab ingenti atque insanabili ovarica cysti nec non de instantanea perfectaque sanatione puellulae Assumptae D'Agostino a gravi inflammatoria affectione epiphyseos femoris.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 31 Iulii a. D. 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

II

ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI VINCENTII PALLOTTI, SACERDOTIS, FUNDATORIS SOCIETATIS APOSTOLATUS CATHOLICI.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Venerabilis Vincentius Pallotti, Romani Cleri in saeculo decimonono insigne decus et ornamentum, totam vitam suam et Societatem Apostolatus Catholici a se conditam, *ad infinitam Dei gloriam, ad destruendum peccatum, ad salvandas animas ordinavit.* Ad quem finem facilius obtinendum tres sociorum classes constituit, Sacerdotum nimirum, Sororum et laicorum, qui omnes collatis viribus adlaborarent. Verum quoniam hic est finis quem Unigenitus Dei Filius factus homo sibi proposuerat, Venerabilis Vincentius uti suae Societatis fundamentum posuit eiusdem Domini Nostri imitationem, quam ipse in se totis viribus assequi est conatus atque felici exitu, quantum homini licet, est consecutus, uti iuridice constat ex Sacrae huius Congregationis decreto edito, heroicas eius virtutes approbante.

Quoniam autem Deus, summe munificus, virtutes Servorum suorum magnificenter, saepe quoque coram hominibus, rependit, Vincentii virtutes miraculorum gloria honestavit, quae ad beatificationis gloriam ei tribuendam viam sternunt. Ex pluribus enim seu gratiis seu miraculis, duas miras sanationes actores Sacrae huic Congregationi obtulere, quae uti vera miracula ab eadem recognitae sunt. Et sane:

I. Alexander Lutri, novennis, romanus, die 12 Septembris mensis anno 1898, dum ludibundus, scalarum loriculae insidens prolabitur, e tertia contignatione praeceps ad ima ruit. In proximum nosocomium a S. Spiritu in Saxia delatus est, ubi a medicis agnita est et gravis cerebralis commotio et probabilis basis cranii fractura — quae postea confirmata est — una cum certo ipsius vitae periculo. Mater pueri, exceptam sequenti die ab amicis Ven. Vincentii imaginem filioli adhuc sensibus orbati corpori admovit, posuitque sub cervicali, ferventes ingeminans preces. Die 14, mane, sanum eum invenit ab eoque certior est facta ipsum vidisse religiosum virum lectum circumeuntem. Mater imaginem Venerabilis Vincentii e cervicali arripiens filiolo ostendit, qui eum qui sibi apparuerat in ea agnovit. Medens, alter medicus, qui fuerat in adulescentia testis, nec non duo officiales periti, immo ipsum me-

dicum nostrae Congregationis collegium unanimi suffragio sanationem hanc naturales leges transgressam esse edicunt.

II. Altera sanatio in oppido Nabburg in Ratisbonensi dioecesi die 12 Septembris anno 1947 contigit. Margarita Sandner sclerosi multipla quatuor medicorum iudicio a tribunali excussorum, fuit attacta, qui morbus per septem supra decem annos eam excruciavit, cum prognosi quod ad vitam et sanationem infausta ab iisdem edicta. In quas diagnosim et prognosim duo officiales periti atque medicum collegium plene conveniunt.

De utraque sanatione post medici collegii iudicium, die 18 mensis Octobris proxime elapsi in Praeparatoria Congregatione actum est, in Generali deinceps die 22 Novembris, in qua subscriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus Causaeque Relator, dubium posuit discutiendum: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, officiales Praelati Patresque Consultores suam quisque edidere sententiam. Beatissimus vero Pater suam sententiam iuxta morem edere noluit, ut Sibi tempus suppeteret ferventibus precibus caeleste lumen a Deo obtinere. Hunc vero diem ad hoc selegit. Quapropter subscriptum Cardinalem S. R. C. Praefectum et Causae Ponentem, R. P. Salvatorem Natucci Fidei generalem Promotorem meque Secretarium advocavit et, sacrosancto Missae Sacrificio sancte litato, edixit: *Constare de duobus miraculis, Venerabili Vincentio Pallotti intercedente a Deo patratis;* nimirum *de instantanea perfectaque sanatione cum pueri Alexandri Lutri a gravissima basis cranii fractura et cerebri commotione, tum Margaritae Sandner ab incurabili multifaria seu diffusa sclerosi.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 27 Novembris, Dominica prima Sacri Adventus, a. D. 1949.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

QUEBECEN.

NULLITATIS MATRIMONII (TURCOTTE-BEDARD)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Domini Aemilii Bédard, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 19 Aprilis 1950, hora duodecima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Domini Aemilii Bédard, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

A. Wynen, *Ponens*.

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 30 Novembris 1949.

O. Bejan, *Notarius*.

*** Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Emile Bédard, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 19 avril 1950, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.**

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Emile Bédard devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Venerdì, 23 dicembre 1949, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Dottor MASSIMO A. ETCHECOPAR, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario della Repubblica Argentina, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 6 dicembre 1949, nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'augusta presenza del Santo Padre si è adunata la Sacra Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali e i Revmi Consultori teologi hano dato il loro voto:

1. Sul *Tuto* per la beatificazione:

a) del Venerabile Servo di Dio Vincenzo Pallotti, Sacerdote, fondatore della Società dell'Apostolato Cattolico;

b) delle Venerabili Serve di Dio:

Paola Elisabetta Cerioli vedova Buzzecchi-Tassis, fondatrice dell'Istituto delle Suore della Santa Famiglia;

Maria Desolata Torres Acosta, fondatrice dell'Istituto delle Suore Serve di Maria Ministre degli infermi.

2. Sui miracoli:

a) della Beata Maria Goretti, vergine e martire;

b) della Venerabile Serva di Dio Vincenza Maria Lopez Vicuña, fondatrice dell'Istituto di Maria Immacolata per le giovani addette al servizio domestico;

c) del Venerabile Servo di Dio Domenico Savio, alunno dell'Oratorio Salesiano.

Martedì, 13 dicembre 1949, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi han dato il loro voto:

1. Sul *Tuto*:

a) per la canonizzazione della Beata Maria Goretti, vergine e martire.

b) per la beatificazione dei Venerabili Servi di Dio Domenico Savio, giovane alunno dell'Oratorio Salesiano, e Vincenza Maria Lopez Vicuña, fondatrice dell'Istituto delle Figlie di Maria Immacolata per le giovani addette al servizio domestico.

2. Sui miracoli per la canonizzazione dei Beati:

a) Antonio Maria Claret, Vescovo Confessore, fondatore della Congregazione dei Missionari Figli del Cuore Immacolato di Maria.

b) Maria Guglielma Emilia De Rodat, vergine, fondatrice della Congregazione delle Suore della Sacra Famiglia.

c) Anna Maria De Paredes, vergine.

I

INDEX GENERALIS ACTORUM

(An. et vol. XXXXI — Ser. II, v. XVI)

I – ACTA PII PP. XII

Litterae Decretales, 45, 128, 262, 385, 626.

Epistula Encyclica, 161.

Constitutiones Apostolicae, 16, 62, 140, 167, 214, 257, 308, 337, 397, 433, 481, 531, 586.

Litterae Apostolicae, 21, 144, 172, 276, 318, 349, 406, 440, 486, 539.

Motu Proprio, 89, 165.

Adhortationes Apostolicae, 58, 529.

Sollemnes Canonizationes, 211, 305.

Epistulae, 24, 64, 175, 216, 278, 324, 356, 410, 448, 591.

Sacra Consistoria, 41, 121, 127, 209, 577.

Nuntii Radiophonici, 5, 76, 179, 294, 329, 424, 454, 610.

Allocutiones, 73, 177, 218, 283, 360, 415, 547, 597.

Hortatio, 182.

Oratio, 187.

II – ACTA SS. CONGREGATIONUM

Suprema Sacra Congregatio S. Officii:

Decreta, 333, 334.

Responsa, 427, 650.

Declaratio, 427.

Sacra Congregatio Consistorialis:

Decreta, 189, 428, 562.

Declarationes, 31, 80.

Provisiones Ecclesiarum, 81, 192, 335, 372, 562, 615.

Designatio, 336.

Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali:

Decreta, 31, 373, 463, 564.

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum:

Instructio, 493.

Decretum, 616.

Sacra Congregatio Concilii:

Decreta, 32, 374.

Declaratio, 221.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide:

Decreta, 33, 82, 148, 429, 464, 512.

Provisio Ecclesiarum, 468.

Nominationes, 469.

Sacra Congregatio Rituum:

Decreta, 82, 476.

Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, 35, 149, 193, 469, 565, 651.

Communicatio, 617.

Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus:

Epistula, 618.

III - ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA:

Facultates, 518.

Monita, 513, 520.

SACRA ROMANA ROTA:

Index sententiarum, 222.

Index decretorum vim definitivam habentium, 244.

Citationes edictales, 157, 253, 297, 573, 620, 655.

IV - ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS:

Responsa, 158.

Diarium Romanae Curiae:

Audientiae sollemniores, 254, 298, 375, 430, 623, 656.

Congregationes Ss. Rituum, 84, 254, 375, 623, 656.

Secretaria Status: Nominationes,* 85, 159, 198, 255, 298, 377, 430, 478, 522, 574, 624.

Necrologia, 88, 304, 384, 576.

* Ad maius inquirentium commodum haec ponitur distincta recensio:

PP. Cardinalibus concreditae protectoriae: 85, 298, 299, 300, 430, 574.

PP. Cardinales dati Sacris Consiliis: S. C. Consistoriali, 624; S. C. Concilii, 299; Instituto Operibus Religionis tuendis, 624.

Consultores deputati: 198, 298, 624.

Officiales renunciati: In S. C. Rituum, 300; in Tribun. Signaturae Apost., 301, 574; S. R. Rotae, 85; in Pont. Commiss. de re Biblica, 255; in Nuntiaturis Apost., 299, 431, 574; in Internuntiaturis Apost., 299, 574; in Delegat. Apost., 298, 299, 300.

Episcopi adsistentes solio: 86, 301, 432, 574.

Protonotarii Apostolici: *ad instar*, 87, 301, 432, 478, 575.

Praelati Domestici: 87, 198, 302, 377, 478, 575.

Cubicularii secreti supra numerum: 201, 380.

Cubicularii secreti ab ense et lacerna: *s. n.*, 204, 383.

Cubicularii honoris in habitu: 204, 383.

Cubicularii honoris extra Urbem: 384.

Cubicularii honoris ab ense et lacerna s. n.: 384.

Cappellani secreti hon.: 384.

Cappellani honoris extra Urbem, 204.

Ex Ordine Piano: Gran Croci, 159, 478; Comm. con placca, 302, 479, 575; Placca, 302; Comm., 303, 479.

Ex Ordine S. Gregorii Magni: Gran Croci cl. civ., 159, 303, 479, 575; Comm. con placca cl. civ., 159, 303, 479, 575; cl. mil., 160; Placca cl. civ., 160, 303, 480; Comm. cl. civ., 160, 205, 303, 522, 576; cl. mil., 205, 480; Cav. cl. civ., 160, 206, 480, 523; cl. mil., 525.

Ex Ordine S. Silvestri Papae: Gran Croci, 303, 480, 576; Comm. con placca, 160, 303, 480, 576; Comm., 160, 206, 304, 480, 525; Cav., 160, 208, 256, 527, 576.

II

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I - ACTA PII PP. XII

I - Litterae Decretales

				PAG.
1947	Iunii	22	*Martyrum Caput.* - Beatus Ioannes De Britto, Sacerdos professus Societatis Iesu, Martyr, in Sanctorum album refertur	128
»	»	»	*Gaudio exultat.* - B. Bernardino Realino C., Sacerdoti professo Societatis Iesu, Sanctorum honores decernuntur	45
»	Iulii	6	*Providentissimo.* - B. Michaëli Garicoïts, Confessori, Sanctorum honores decernuntur	625
»	»	»	*Dei Ecclesia.* - B. Ioanna Elisabeth Bichier des Ages, Virgo, in Sanctorum album adscribitur	637
»	»	20	*Prophetica Isaiae verba.* - Beato Ludovico Grignion de Montfort, Sacerdoti, fundatori Presbyterorum Missionariorum Societatis Mariae et Instituti Filiarum a Sapientia, Sanctorum honores decernuntur	262
»	»	27	*Deus humilium.* - Beatae Catharinae Labouré, Virgini, e Societate Puellarum Caritatis S. Vincentii a Paulo, Sanctorum honores decernuntur	385

II - Epistula Encyclica

1949	Aprilis	15	*Redemptoris nostri cruciatus.* - Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de Sacris Palaestinae Locis	161

III - Constitutiones Apostolicae

1948	Ian.	10	Icensis. - *Cathedralia Capitula.* - Canonicorum Capitulum in Cathedrali Ecclesia Icensi erigitur	308
»	Maii	20	Bombayensis (Karachiensis). - *Opportunis providentiae studiis.* - Ab Archidioecesi Bombayensi territorii pars seiungitur et nova exinde erigitur Dioecesis, nomine « Karachiensis »	62
»	Iulii	8	De Lulua et Katanga (Lacus Moëri). - *In Congo Belgico.* - E Vicariatu Apostolico de Lulua et Katanga territorii pars distrahitur et nova exinde Praefectura Apostolica erigitur, « Lacus Moëri » nomine	140
»	»	15	Guayaquilensis (Fluminensis). - *Christianae plebis.* - A Dioecesi Guayaquilensi Provincia civilis « Los Rios » dismembratur et exinde novus erigitur Vicariatus Apostolicus Fluminensis . . .	16
»	»	17	Edmontonensis (S. Pauli in Alberta). - *Quo satis.* - Ab archidioecesis Edmontonensis territorio pars distrahitur quae in novam dioecesim S. Pauli in Alberta nomine erigitur	18
»	Aug.	7	Olidensis et Recifensis (Caruaruensis). - *Quo maiori.* - Ab archidioecesi Olidensi et Recifensi et a Dioecesibus Nazarensi et Pesquei-	

PAG.

rensi territoria distrahuntur, ex quibus nova Dioecesis Caruaruensis constituitur 311

1948 Dec. 9 BATAVIENSIS (Sukabumensis). – *Quo in insula Iava.* – E Vicariatu Apostolico Bataviensi pars distrahitur et nova erigitur Praefectura Apostolica Sukabumensis 142

» » » DE LYDENBURG. – *Si Evangelii.* – Praefectura Apostolica de Lydenburg in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur 167

» » » DE OUDTSHOORN. – *Ad altiorem.* – Praefectura Apostolica de Oudtshoorn in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur . . 169

» » » DE TALI (Taliana). – *Inceptum a Nobis opus.* – Praefectura Apostolica de Tali in Sinis in Dioecesim, Talianam nomine, erigitur . . 314

» » 11 CHICAGIENSIS-PEORIENSIS-ROCKFORDIENSIS (Joliettensis in Illinois). – *Ecclesiarum circumscriptiones.* – A dioecesibus Chicagiensi, Peoriensi et Rockfordiensi territorii pars avellitur, quae in novam erigitur dioecesim « Joliettensem in Illinois » nuncupandam . . 397

» » » MANILENSIS (Sancti Ferdinandi). – *Probe noscitur.* – Ab archidioecesis Manilensis territorio pars seiungitur, quae in novam erigitur dioecesim, « Sancti Ferdinandi » nuncupandam 400

1949 Ian. 13 DE MIARINARIVO (De Tsiroanomandidy). – *Ad Christi regnum.* – A Vicariatus de Miarinarivo territorio pars seiungitur, quae in Praefecturam Apostolicam erigitur, Tsiroanomandidy nuncupandam . 214

» » » DE NDOLA. – *Si in aliqua.* – Praefectura Apostolica de Ndola in Vicariatum eiusdem nominis evehitur 170

» Febr. 1 SANTAREMENSIS (Macapensis). – *Unius Apostolicae Sedis.* – A Praelatura « nullius » Santaremensi pars seiungitur, quae in novam erigitur Praelaturam « nullius », Macapensem nuncupandam . . 402

» Martii 3 DE BAHR-EL-GAZAL, DE BAHR-EL-GEBEL (Mopoiensis). – *Quo Christi Domini.* – A Vicariatu Apostolico de Bahr-el-Gazal et a Praefectura Apostolica de Bahr-el-Gebel territorii pars seiungitur, quam in novam erigitur Praefecturam Apostolicam sub nomine Mopoiensem 405

» » » DE YAOUNDÉ (de Doumé). – *Quo faciliori.* – Vicariatus Apostolicus de Yaoundé dismembratur et novus erigitur Vicariatus de Doumé nuncupandus 316

» » » LAGOSENSIS (Oyoënsis). – *Quo validius.* – A Vicariatu Apostolico Lagosensi pars septentrionalis seiungitur, quae in Praefecturam Apostolicam Oyoënsem nomine erigitur 433

» » 10 DE BANDJERMASIN (Bandjermasinensis). – *Quo enascentium.* – Praefectura Apostolica de Bandjermasin, in Archipelago Indonesiano, ad Vicariatus Apostolici gradum evehitur Bandjermasinensis nomine 439

» » » DE BELLARY (Bellaryensis). – *Apostolica Sedes.* – Missio « sui iuris » de Bellary, in Indiis Orientalibus in dioecesim erigitur, sub nomine « Bellaryensis », quae suffraganea constituitur Metropolitanae Ecclesiae Madraspolitanae 435

» » » STANLEYPOLITANUS (Wambaënsis). – *Evangelizationis.* – A Vicariatu Apostolico de Stanley Falls, in posterum Stanleypolitano nuncupando, pars seiungitur, quae in novum Vicariatum Apostolicum, nomine Wambaënsem, erigitur 437

» Apr. 21 DE CHIHFENG (Cefomensis). – *Per Apostolicas Litteras.* – Praefectura Apostolica de Chihfeng, in Sinis, ad Dioecesis gradum evehitur « Cefomensis » nomine 531

» » 30 LEOPOLDINENSIS. – *Sapienter.* – Canonicorum Capitulum in Cathedrali Ecclesia Leopoldinensi erigitur 481

» Maii 5 BOMBAYENSIS (Ahmedabadensis). – *Bombayensis Archidioecesis.* – Ab Archidioecesi Bombayensi territorii pars seiungitur, quae in novam dioecesim, Ahmedabadensem nomine, erigitur 483

» » 12 GUINEAE GALLICAE SEU KONAKRIENSIS (Kankanensis). – *Evangelizationis operi.* – A Vicariatus Apostolici Guineae Gallicae territorio pars orientalis distrahitur, quae in novam Praefecturam Apostolicam Kankanensem » nomine erigitur; Vicariatus autem Guineae Gallicae in posterum « Konakriensis » appellandus decernitur . . 533

PAG.

1949 Maii 12 NOVA GUINEA NEERLANDICA (AMBOINAËNSIS) (Hollandia). – *Melius aptiusque.* – E territorio Vicariatus Apostolici Novae Guineae Neerlandicae, in posterum « Amboinaënsis » appellandi, pars septentrionalis separatur, quae in novam Praefecturam Apostolicam « Hollandiam » erigitur 535

» » 14 PARAIBENSIS (Campinae Grandis). – *Supremum.* – A Metropolitanae Ecclesiae Paraibensis territorio pars separatur, quae in novam erigitur Dioecesim « Campinae Grandis » nuncupandam . . . 536

» » 26 *Iubilaeum maximum.* – Indictio Universalis Iubilaei Anni Sancti millesimi nongentesimi quinquagesimi 257

» Iunii 9 SCIAMHAEVENSIS (De Yangchow - De Haichow). – *Recta Ecclesiarum.* – A Dioecesi Sciamhaevensi duae partes, ad septentrionem Dioecesis Haemenensis sitae, disiunguntur et Praefecturae Apostolicae de Yangchow et de Haichow eriguntur 586

» » » SCIAMHAEVENSIS (Suceuvensis). – *Quo catholicae fidei.* – Dioecesis Sciamhaevensis territorium, ad meridiem situm Dioecesis Haemenensis, bipartitur et nova erigitur Dioecesis « Suceuvensis » nomine, Metropolitanae Nanchimensi Ecclesiae suffraganea . . 588

» Iulii 10 *Fore confidimus* – Indulgentiae et facultates suspenduntur vertente anno generalis maximique Iubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo 337

» » » *Decessorum Nostrorum.* – Paenitentiariis aliisque in Urbe confessariis extraordinariae conceduntur facultates anno vertente generalis maximique Iubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo 340

» » » *Iam promulgato.* – Indulgentiae Anni Sancti MDCCCCL conceduntur monialibus aliisque stabili impedimento detentis cum opportunis facultatibus circa absolutiones et votorum commutationes . . 345

IV – LITTERAE APOSTOLICAE

